



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE  
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,  
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

De Baptismo Et Confirmatione - Dvobus Libris Explicata

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Ingolstadii, [1599]**

**VD16 B 1607**

XXIII. Soluuntur obiectiones.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53934)

## CAPVT XXIII.

## Soluuntur obiectiones.

**A**RGVMENTVM PRIMVM est Caluini in Antido-  
to, & in Instit. locis supra notatis Eadem fuit do-  
ctrina, idem ritus, eadem gratiæ oblatio in Ba-  
ptismo Ioannis, & Christi: igitur idem Baptisma  
erat, & eiusdem efficaciam. Antecedens probat. Nam Ioannes,  
quod attinet ad doctrinam, prædicauit Christum esse hostiam  
pro peccatis nostris, cum ait Ioan. 1. *Ecce Agnus Dei, qui tol-  
lit peccata mundi*, quæ certè est summa totius doctrinæ Chri-  
stianæ. Quantum ad ritum, baptizauit in aqua, & in nomine  
Christi, ut patet Actor. 19. Denique quantum ad oblationem  
gratiæ, utriusque in pœnitentiam, utriusque in remissionem pec-  
catorum baptizârunt, ut patet de Baptismo Ioannis, Luc. 3. &  
de Baptismo Christi, Actor. 2.

**R**ESPONDEO, hoc argumentum est fundamentum præ-  
cipuum aduersariorum, & eo vtuntur etiam Kemnitius, & Phi-  
lippus, & alij; sed tamen non difficulter solui potest. Nam  
quod attinet ad doctrinam, in duobus errant aduersarij, id est  
in antecedente, & consequentia argumenti. Siquidem non est  
verum eandem fuisse doctrinam Ioannis, & Christi, nisi in eo  
sensu, quod nihil contrarium docuit Ioannes Christo. Alio-  
qui enim Ioannes nihil docuit de resurrectione Christi, immo  
etiam neque expressè de passione. Nam quod vocauit illum  
agnum Dei, potuit referri ad innocentiam, & mansuetudinẽ,  
etiam si victima non fuisset. Deinde doctrina nihil facit ad Sa-  
cramenti essentiam, & veritatem; alioqui hæretici, qui habent  
falsam doctrinam, haberent falsa Sacramenta, qui est error Do-  
natistarum, & à Caluino etiam, & Lutheranis reicitur. Sicut  
igitur diuersitas doctrinæ non facit diuersum Baptisma: ita  
nec doctrinæ similitudo facit Baptisma esse vnum, vel simile.  
Quod attinet ad ritum, iam supra ostendimus, non fuisse  
similitudinem, nisi in materia.

Quantum ad oblationem gratiæ, falsum est quod Caluinus  
dicit: Utique in pœnitentiam, utique in remissionem pec-  
catorum baptizârunt. Nam Ioannis Baptisma passim dicitur  
Baptisma pœnitentiæ, ut Matth. 3. Marc. 1. Luc. 3. Actor. 1. &  
29. At Baptisma Christi nusquam dicitur Baptisma pœnitenti-  
æ,

tiz, sed lauacrum regenerationis, Tit. 3. Quod autem obiicitur ex Actor. 2. non conuincit. Nam Petrus non dicit Baptismum Christi esse Baptismum pœnitentiæ, id est, quod ad pœnitentiam prouocet, vt faciebat Baptismus Ioannis; sed dicit requiri pœnitentiam, vt dispositione ante ipsum Baptismum. Sic enim ait: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestram.* Itaque pœnitentia contrario modo se habet ad Baptismum Christi, & Ioannis: nam Baptismum Ioannis sequitur pœnitentia, vt eius effectus; Baptismum Christi præcedit, vt eius dispositio. Quod autem attinet ad remissionem peccatorum, illa tribuitur Baptismo Christi, vt immediatus eius effectus. Actorum 2. *Baptizetur unusquisque vestram in remissionem peccatorum.* Et Ephes. 5. *Mundans eam lauacro.* Et Tit. 3. *Saluos nos fecit per lauacrum, &c.* At Baptismo Ioannis nusquam tribuitur remissio peccatorum, vt effectus immediatus, & proximus: solùm enim præferre possunt aduersarij illa verba Marc. 1. & Lucæ 3. *Prædicans Baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.* Ibi autem non tribuitur remissio peccatorum Baptismo, sed pœnitentiæ, ad quam prouocabat Baptismus.

Est enim sensus eius loci; Ioannes prædicabat Baptismum pœnitentiæ, id est, quod incitabat, & inuitabat ad pœnitentiam; quam pœnitentiam qui agerent, vt oporteret, consequerentur remissionem peccatorum. Atque ita exponunt, qui plurimum tribuunt Ioannis Baptismo, vt Basilius & Nyssenius supra citati. Nam alij, vt Tertullianus in lib. de Baptismo. Augustinus lib. 5. contra Donatistas, cap. 10. Gregorius homil. 20. in Euang. & Beda in cap. 3. Lucæ, illa verba: In remissionem peccatorum, referunt ad Baptismum Christi, non Ioannis: dicunt enim Ioannem baptizasse in pœnitentiam, & simul prædicasse Baptismum Christi futurum in remissionem peccatorum.

SECVNDVM argumentum Kemnitij, pag. 183. Apostolus Ephes. 4. per gradationem ostendit in nouo Testamento, vbi vnum est corpus, vnus spiritus, vna spes vocationis, vnus Dominus, vnus Pater, vna fides; ibi etiam vnum esse Baptisma. At illa omnia erant tempore prædicationis Ioannis Baptistæ; igitur idem tunc erat Baptisma.

RESPONDEO, si hoc argumentum valeret, probaret etiam tempore Moyſis, & Dauidis fuiſſe Chriſti Baptiſmum: nam tunc erat idem vnum corpus Eccleſiæ, eadem ſpes, eadem fides, idem Deus, &c. Præterea probaret hoc argumentum, apud hæreticos non eſſe verum Chriſti Baptiſmum; non enim apud eos eſt vnum corpus, vnus ſpiritus, vna fides, &c. Non igitur Apoſtolus probat idem eſſe Baptiſmum, vbi eſt idem Deus, eadem fides, &c. ſed probat debere Chriſtianos ſeruare cum omni diligentia vnitatem ſpiritus in vinculo pacis; quia ſunt vnum corpus: & vnum ſpiritus, vnum Deum, vnam fidem, vnam ſpem, vnum Baptiſmum habent.

3. TERTIVM argumentum, quod maximè Kemnitiū mouit, ibidem pag. 183. tale eſt. Quia ea eſt ſuauiſſima conſolatio omnium Chriſtianorum, quòd vnum & idem Baptiſmum habeant cum ſuo capite Chriſto. At hæc tota conſolatio perit, ſi non eſt idem Baptiſmum Ioannicum Chriſti Baptiſmo: Chriſtus enim Ioannis Baptiſmo baptizatus eſt, nos autem Baptiſmo Chriſti.

RESPONDEO, non eſt bona conſolatio, quæ vel gloriam Chriſto detrahatur, vel etiam contumeliam, & iniuriam irrogat. Baptiſmum autem Chriſti ipſi Chriſto tribuere vix poſſumus ſine eius iniuria. Nam cum ſit lauacrū regenerationis, & adoptionis filiorum; ſi is Chriſto tribueretur, videretur indigniſſe regeneratione, & adoptione; quæ certè eſt maxima in Chriſtu blaſphemia, cum ſit ipſe Filius Dei naturalis, & ab ipſa Cœceptione ſanctiſſimus ſemper, & plenus gratia fuerit, in gratia crefcere in eo non potuerit.

DICIT fortè cum Magiſtro ſuo Luthero in cap. 3. ad Galat. & in homil. de Baptiſmo, Chriſtum fuiſſe quidem in ſe ſanctum, tamen quia ſuſcepit peccata noſtra, fuiſſe etiam ratione eorum peccatorum, furem, latronem, homicidam, denique maximum peccatorem totius mundi; & ſic indigniſſe Baptiſmo in remiſſionem peccatorum præ omnibus hominibus, quia propter omnes homines. At iſta omnia ſunt mea blaſphemiæ in Chriſtum. Nam etiam ſi Chriſtus ſuſceperit in ſe onus peccatorum noſtrorum, tamen non poteſt verè ipſe de nominari fur, latro, homicida, peccator, vt impudèret eum vt ait Lutherus ſine vllò exemplo Scripturæ, aut Patrum: non enim dicitur fur, qui ſoluit debitum, quod fur debebat, ſed qui furatur

furatur rem alienā. Partiratione peccata nostra Christus purgavit operibus virtutum suarum, non vi alicuius Sacramenti ab alio sibi ministrati.

DICES, potuit Christus accipere suum Baptisma, non ad effectum regenerationis & adoptionis consequendum, sed aliqua alia de causa, quomodo accepit Circumcisionem, qua non indigebat, & Baptismum Ioannis, quod fuit Baptisma pœnitentiæ, cū tamen ipse non egeret pœnitentiā; & denique quomodo accepit Eucharistiam, qua similiter non indigebat.

RESPONDEO, quidquid de hoc sit, certè magis gloriosum fuit Christo, non accipere suum Baptisma, quam accipere. Dum enim Baptismum confert, & non accipit, Imperatorem se, & principem huius militiæ ostendit, quippe qui characterem suum in aliis imprimit. At si acciperet, videretur etiam ipse ad militiam adscribi. Denique maior nobis consolatio esse debet, quod per Baptismum Christum induamus, & similitudini mortis eius configuremur, quàm si cum illo simul ablueremur.

QUARTVM argumentum ibidem; Christus cū baptizaretur à Ioanne, contactu carnis suæ sanctificavit aquas; & præterea adesse voluit visibiliter præsentiam Spiritus sancti in specie columbæ, & sonare vocem gratiæ, & beneplaciti diuini, quæ inuisibiliter adsunt in nostro Baptismo; non igitur diversa sunt Baptismata, illud, & nostrum.

RESPONDEO, Patres varias causas attulisse, cur Christus à Ioanne baptizari voluerit. PRIMA est, ad exemplum humilitatis, vt ipse ait, *Matt. 3. Sine modo, sic enim decet nos implere omnem iustitiam.* De qua causa vide Augustinum in Enchirid. cap. 49. & Bernard. serm. 4. de Epiphania. SECUNDA est, vt confirmaret Baptismum Ioannis tanquam bonum, & Deo gratum, vt docet Hieronymus in cap. 3. Matth. TERTIA, vt ostenderet quanti facere debeant peccatores Baptismum Domini sui, quando ipse Dominus, & iustus, tanti fecit Baptismum serui sui. Ita Augustinus tractat. 4 & 13. in Ioannem.

QUARTA, vt lauaret nostra crimina in Iordane; vt canit Ecclesia in die Epiphaniæ; & vt scribit Nazianzenus oratione in sancta lumina, vt veterem Adamum suffocaret in aquis, & novum emergere faceret, Quod quidem fecit, vt supra diximus,

non vi Baptismi accepti, sed merito humilitatis suæ. *QUINTA*, ut ipse in sua persona figuraret Baptismum nostrum, & gratiam, quam in eo accipimus, ut docet *Augustinus* lib. 15. *Trinitat.* cap. 26.

Sed *PRAECIPVA* fuit, ut Baptismum salutarem institueret, & consecraret. Instituit enim sanctificando aquam carnis suæ, ut supra ostendimus ex *Ambrosio*, & *Beda*, in cap. 3. *Lucæ*; ex *Chrysostomo*, & *Hieronymo*, in cap. 3. *Matthæ*, & ex aliis multis Patribus: & simul figuratè ostendit effectum Baptismi sui, dum cœlum aperiri voluit, & Spiritum sanctum descendere, & vocem audiri, &c. ut patet ex *Hilario* in cap. 4. *Matthæ*. Sed quid ista faciunt pro *Kemnitio*? immò quomodo non pugnant cum *Kemnitio*? Nam antequam Dominus baptizaretur, nunquam apparuit columba, neque audita est vox de cœlo, neque sanctificatæ sunt aquæ; & tamen idem erat Baptismus *Ioannis*, cum eo, qui postea fuit. Non igitur Baptismus, quem habuit Dominus à *Ioanne*, idem erat cum nostro: nam illud accepit, non instituit; nostrum autem instituit, non accepit.

5. *QVINTVM* argumentum pag. 119. *Paulus* dicit, 1. *Corinth.* 12. Nos omnes effici vnum corpus per Baptismum. At vnum corpus efficimur non solum inter nos, sed etiam cum *Christo*. Igitur idem Baptisma habemus cum *Christo*.

*RESPONDEO*, hanc esse aliam contumeliam in *Christum*, quasi ille eguerit Baptismo, ut fieret membrum *Ecclesiæ*: mirum est, cur non addiderit etiam, debuisse *Christum* per fidem, & pœnitentiam adipisci remissionem peccatorum. *Respondeo* igitur, *Paulum* loqui solum de corpore, non de capite. Nos enim membra *Christi*, & proinde vnum corpus *Christi* efficimur per Baptismum, quia hoc Sacramento regeneramur, & annectimur *Christo*. At ipse caput nostrum factum est, non per Baptismum, sed per gratiam vniõnis hypostaticæ. Quemadmodum etiam filij *Adæ*, & quasi corpus eius efficimur per carnalem generationem; ipse autem non fuit factus caput omnium hominum per carnalem generationem, sed per creationem, & gratiam Dei singularem.

6. *SEXTVM* argumentum. Vnum corpus sumus, non solum nunc inter nos, sed etiam cum illis, qui erant prædicare *Ioanne*, &

ne, & baptizante antequam Dominus baptizare inciperet. At qui vnum corpus efficimur per vnum Baptisma.

RESPONDEO, semper Ecclesiam fuisse vnum corpus mysticum, non tamen semper eodem Sacramento adiungebantur homines huic corpori, sed aliquando per Circumcisionem quo ad Iudæos, aut alio modo, quo ad Gentiles: nunc autem post Christi tempora, per Baptisma. Itaque tempore Ioannis erant Iudæi vnum corpus per Circumcisionem, non per Baptisma Ioannis, aut Christi: Paulus autem loquitur de tempore suo.

SEPTIMUM argumentum contra solutionem præcedentis. Etiam tempore Pauli multi erant vnum corpus Christi, qui tamen non habuerant nisi Baptisma Ioannis. Nam Apostoli non sunt baptizati, nisi Baptismo Ioannis, excepto Paulo. Similiter Apollo quidam Actor. 18. non nouerat, nisi Baptisma Ioannis, & tamen non est coactus rebaptizari. Denique ipse etiam Baptista non fuit à Christo, vel à discipulis eius baptizatus.

RESPONDEO, Apostolos baptizatos Christi Baptismo, scribunt, & probant Tertullianus in lib. de Baptismo, & Augustinus epist. 108. ad Seleucianum, & lib. 3. de origine animæ, cap. 9. Nam cum Dominus Ioan. 3. tam apertè pronunciauerit, neminem saluandum sine Baptismo, non debet dubitari, quin illi omnes Baptisma Christi acceperint, quos post ea tempora vixisse, & ad Ecclesiam Christi aggregatos constat, etiam si id nusquam scriptum sit. Alioqui negabimus etiam Romanos, Galatas, Ephesios, Philippenses, Timotheum, Titum, Philemonem, & alios, ad quos Paulus scribit, fuisse baptizatos, quia nusquam scriptum legimus, quando, & à quibus baptizati fuerint. Idem dici potest de Apollone, quem baptizatum fuisse Christi Baptismo affirmant Chrysostomus & Oecumenius in cap. 18. Actor. Denique de Ioanne Baptista, sicut non scriptum est baptizatum à Christo, ita neque contrarium scriptum est. Et coniectura non leuis est, eum fuisse à Christo baptizatum: quoniam ait, Matth. 3. Ego à te debeo baptizari: Sed quidquid de hoc sit, certum est eum à Christo saltem spiritu baptizatum, vt affirmant Nazianzenus oratione in sancta lumina, & Hieronymus, atque auctor operis imperfecti apud Chrysostomum in capite 3. Matth. Quod si non fuit baptizatus

134 *Cap. XXIV. De Sacramento Baptismi. Lib. 1.*  
zatus aqua Ioannes, non est mirum, quia mortuus est, ante  
quam lex de Baptismo Christi obligaret.

## CAPVT XXIV.

### *De caeremoniis Baptismi.*

**D**E caeremoniis baptizandorum copiosè scribit  
Thomas Waldensis, tomo 3. de Sacramentali-  
bus, tit. 5. cap. 45. & sequentibus septem, contra  
Ioannem Wiclefum, qui omnes ferè Ecclesie  
Catholicæ ritus, & caeremonias circa Baptismum reiciebat.  
Easdem caeremonias fusè tradunt, & explicant Ordo Roma-  
nus; Alcuinus in libro de diuinis officiis, cap. de Sabbato  
sancto; Amalarius lib. de officiis Ecclesiasticis, & Rabanus lib.  
1. de institutione clericorum; & ex veteribus Cyrillus in Cata-  
chesibus, & Ambrosius in lib. de Sacramentis.

Eisdem ritus, paucissimis exceptis, damnant etiam hereti-  
ci huius temporis, ac præsertim Ioan. Calvinus, lib. 4. Institut.  
cap. 25. §. 19. & Illyricus Centur. 1. lib. 2. cap. 6. & Centur. 2.  
cap. 6. qui tamen non aliud argumentum proferunt, nisi quod  
ritus isti non sint in diuinis literis, neque præcepto, neque  
exemplo commendati.

Nos autem illis duo obiicimus. **PRIMO**, quòd ipsi etiam  
aliquid præscribant in administratione Baptismi, quod in sa-  
cris literis non inuenerunt, Nam in libello de formula Sacra-  
mentorum ministrandorum, præscribit Calvinus **PRIMO**,  
vt infans adferatur ad Baptismum die Dominico, aut certè a-  
lio die, quo populus in Ecclesia ad concionem conuenit, vt  
coram populo fiat Baptismus. **SECUNDO**, vt qui infantes  
adferunt, interrogentur; an spondeant, se infantes illos, cum  
adoleuerint, instituturos in doctrina fidei, & morum; & spon-  
sione facta pergatur in Baptismo. **TERCIO**, vt nomen impo-  
natur infanti baptizando. **QUARTO**, vt forma Sacramenti  
pronunciatur lingua patria. **QUINTO**, vt recitetur Symbo-  
lum, & Oratio Dominica, aliæque preces. At nihil horum in  
Scriptura inueniet. **Lutherani** addunt etiam abrenunciatio-  
nem Satanae, & pomparum eius, vt patet ex agenda Saxonica,  
& aliis similibus. Vnde Illyricus etiam non audet reicere ab-  
renun-